

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Orationvm Marci Tvl. Ciceronis

Accesserunt breues animaduersiones ex doctissimorum hominum  
commentariis, quibus ita loci permulti explicantur, vt vulgo receptæ  
lectionis vbique ratio habeatur

**Cicero, Marcus Tullius**

**Lvgdvni, 1586**

Oratio XLV: In M. Antonium Philippica tertia

---

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-343](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-343)



P. B.

# IN M. ANTONIVM PHILIPPICA TERTIA.

ORATIO XLV.



**S**ERIVS omnino, P. C. quam tēpus reip. po-  
 flulabat, aliquando tamen, cōuocati sumus:  
 quod flagitabam equidem quotidie: quippe  
 cum bellum nefarium contra aras, & focos,  
 contra uitam, fortunaſq; noſtras ab homine proſtigato, ac  
 perditio non comparari, ſed geri iam uiderem. Exſpectan-  
 tur Kalend. Ian. quas non exſpectat Antonius, qui in pro-  
 uinciam D. Bruti ſummi, & ſingularis uiri cum exercitu  
 impetum facere conatur: ex qua ſe inſtructum, & para-  
 tum ad urbem uenturum eſſe minatur. Quae eſt igitur  
 exſpectatio, aut quae uel minimi dilatio temporis? quam-  
 quam enim adſunt Kal. Ian. tamen breue tempus longum  
 eſt imparatis. dies enim aſſert, uel hora potius, niſi proui-  
 ſum eſt, magnas ſepe clades. certus autem dies non ut ſa-  
 crificij, ſic conſilij exſpectari ſolet. Quod ſi aut Kal. Ian.  
 fuiſſent eo die, quo primū ex urbe fugit Antonius, aut haec  
 non eſſent exſpectata: bellum iam nullum haberemus. au-  
 thoritate enim ſenatus, conſenſuq; populi Ro. facile homi-  
 nis amentis fregiſſemus audaciam, quod conſido equidem  
 cōſules designatos, ſimul \* ut magiſtratum inierint, eſſe fa-  
 cturos. ſunt enim optimo animo, ſummo conſilio, ſingulari  
 concordia: mea autē feſtinatio non uictoriae ſolū auida eſt,  
 ſed



sed etiam celeritatis. Quosq; enim tantum bellū, tam crudele, tam nefarium priuatis consilijs propulsabitur? cur nō quam primum publica accedit auctoritas? C. Caesar adolefcens, p̄ne potius puer, incredibili, ac diuina quadam mēte, atq; uirtute, tum, cum maxime furor arderet Antonij, cumq; eius a Brundisio crudelis, & pestifer reditus timeretur; nec postulantibus, nec cogitantibus, nec optantibus quidem nobis, (quia fieri posse non uidebatur) firmissimum exercitum inuictō genere ueteranorum milium coparauit, patrimoniumq; suum effudit. quamquam non sumus nisi eo uerbo, quo debuit: non enim effudit, sed in salute reip̄b. collocauit. Cui quamquam gratia referri tāta non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quātā maximam animi nostri capere possunt. Quis enim est tam ignarus rerum, tam nihil de rep, cogitans, qui hoc nō intelligat: si M. Antonius a Brundisio cum ijs copijs, quas se habiturum putabat, Romam, ut minabatur, uenire potuisset, nullum genus crudelitatis eum praeteriturū fuisse? quippe qui in hospitii tectis Brundisij fortissimos uiros, ciues optimos iugulari iusserit: quorum ante pedes eius morientium sanguine os uxoris respersum esse constabat. Hac ille crudelitate imbutus, cum multo bonis omnibus ueniret iratior, quam illis fuerat, quos trucidarat, cui tandem nostrum, aut cui omnino bono pepercisset? Qua peste reip̄. priuato consilio (nec enim fieri potuit aliter) Caesar liberauit: qui nisi in hac rep. natus esset, emp. scelere Antonij nullam haberemus. sic enim perspicio, sic iudico, nisi unus adolescens illius fuerit in: petus, crudelissimq; conatus cobiuisset, reip̄. funditus interituram fuisse. Cui quidem hodierno die, P. C. (nunc enim primum ita conuenimus, ut de illius beneficio possemus, quā sentiremus, libere dicere) tribuenda est au-

A A A

Eov

P. 184.



Floritas, ut temp. non modo a se susceptam, sed etiam a nobis commendatam possit defendere. Nec uero de legione Martia (quoniam lōgo interuallo loqui nobis de rep. licet) sileri potest. quis enim unus fortior, quis amicioꝝ unquam reip. fuit, quam legio Martia uniuersa? quæ, cum hoste populi Rom. M. Antonium iudicasset, comes eius esse amentia noluit: reliquit consulem: quod profecto non fecisset, si eum consulem iudicauisset: quem nihil aliud agere, nihil moliri, nisi cædem ciuium, atq; interitum ciuitatis uideret. Atq; ea legio confedit. Alba. Quam potuit urbem eligere aut opportuniorem ad res gerendas, aut fideliorē, aut fortiorum uiuorum, aut amicioꝝ populo Rom. ciuium? Huiusce legionis uirtutem imitata quarta legio, duce L. Egna tulleio quæstore, ciue optimo, & fortissimo, Cæsaris auctoritatem, atq; exercitum persecuta est. Faciendum est igitur nobis, P. C. ut ea, quæ sua sponte clarissimus adolescēs, atq; omnium præstantissimus gessit, & gerit, hæc auctoritate uestra comprobentur: ueteranorumq; fortissimorum uiuorum, tum legionis Martiæ, quartæq; mirabilis consensus ad temp. recuperandam laude, & testimonio nostro confirmetur: eorumq; commoda, honores, præmia, cum consules designati magistratū inierint, cura nobis fore, hodierno die spondeamus. Atq; ea quidem, quæ dixi de Cæsare, deq; eius exercitu, iam diu nota sunt nobis. uirtute enim admirabili Cæsaris, constantiaq; militum ueteranorum, legionumq; earum optimo iudicio, quæ auctoritatem nostram, libertatem populi Rom. uirtutem C. Cæsaris secutæ sunt, a ceruicibus nostris est depulsus Antonius. Sed, ut dixi, hæc superiora: hoc uero recens Edictum D. Bruti, quod paullo ante propositum est, certe silentio nō potest præteriri. Pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in senatus



tus, populiq; Rom. potestate. Ociuem natum reip. memo- P. 185.  
 rem sui nominis, imitatoremq; maiorum! neq; enim, Tar-  
 quinio expulso, maioribus nostris tã fuit optata libertas,  
 quam est, repulso Antonio, retinenda nobis. Illi regibus  
 parere iam à condita urbe didicerant: nos post reges ex-  
 actos seruitutis obliuio ceperat. Atq; ille Tarquinius, quẽ  
 maiores nostri non tulerunt, non crudelis, non impius, sed  
 superbus est habitus, & dictus. Quod nos uitũ in priuatis  
 sepe tulimus, id maiores nostri ne in rege quidem ferre po-  
 tuerunt. L. Brutus regem superbum non tulit: D. Brutus sce-  
 leratum, atq; impium regnare patietur? quid Tarquinius  
 tale? qualia innumerabilia & fecit, & facit Antonius? Se-  
 natum etiam reges habebant, nec tamẽ, ut, Antonio sena-  
 tum habent, in consilio regis uersabatur barbari armati.  
 Seruabant auspicia reges, quæ hic consul, augurq; negle-  
 xit, neque solum legibus contra auspicia ferẽdis, sed etiam  
 collega una ferente eo, quem ipse, e mentis auspiciis uitio-  
 sum fecerat. Quis autera rex unquam fuit tam insigniter  
 impudens, ut haberet omnia cõmoda, beneficia, iura regni  
 uenalia, quam hic immunitatẽ, quam ciuitatem, quod præ-  
 mium, non uel singulis hominibus, uel ciuitatibus, uel uni-  
 uersis prouinciis uendidit? Nihil humile de Tarquinio ni-  
 hil fordidum accepimus. at uero huius domi inter quasilla  
 appendebatur aurum, numerabatur pecunia: una in domo  
 omnes, quorum intererat, totum imperium populi Rom.  
 nundinabantur. Supplicia uero in ciues Romanos nulla  
 Tarquinij accepimus. at hic & Sueffo ingulauit eos, quos  
 in custodiam dederat, & Brundisij trecentos fortissimos ui-  
 ros, ciuesq; optimos trucidauit. Postremo Tarquinius pro  
 populo Rom. bellum gerebat tum, cum expulsus est. Anto-  
 nius contra populum Rom. exercitum adducebat tum, cum

P. B.

AAA 2 à leg



à legionibus relictus, nomen Caesaris, exercitumq; perti-  
 mit: neglectisq; sacrificiis solemnibus, ante lucem ea vota,  
 quæ numquam solueret, nuncupavit: & hoc tēpore in pro-  
 vinciam populi Rom. conatur inuadere. Mains igitur be-  
 neficium à D. Bruto populus Rom. & habet, & expectat,  
 quam maiores nostri acceperunt à L. Bruto, principe huius  
 maxime conseruandi generis, & nominis. Cum autem est  
 omnis seruitus misera, tum uero intolerabile est, seruire  
 impuro, impudico, effeminato, nūquam, ne in reuē quidē,  
 sobrio. Hunc igitur qui Gallia prohibet, priuato præsertim  
 consilio, iudicat, nerissimeq; iudicat, non esse consulem. Fa-  
 ciendum est igitur, P. C. nobis, ut D. Bruti priuatum consi-  
 lium auctoritate publica comprobemus. Nec uero M. An-  
 tonium cōsulem post Lupercalia putare debuistis. quo enim  
 ille die, populo Ro. inspectante, nudus, unctus, ebrius, con-  
 cionatus est, & id egit, ut collega diadema imponeret, eo  
 die se non modo consulatu, sed etiā libertate abdicauit: esset  
 enim ipsi certe statim seruiendum, si Caesar ab eo regni in-  
 signia accipere uoluisset. Hunc igitur ego consulem, hunc  
 ciuem Rom. hunc liberum, hunc deniq; hominē putem, qui  
 fœdo illo, & flagitioso die, & quid pati, Casare uiuo, pos-  
 set, & quid, eo mortuo, consi qui ipse cuperet, ostendit? Nec  
 uero de uirtute, constantia, grauitate prouincie Gallie ta-  
 cere potest. est enim ille flos Italiae, illud firmamentū impe-  
 rij populi Rom. illud ornamentum dignitatis. tantus autem  
 est consensus municipiorum, coloniarumq; prouincie Gal-  
 liae, ut omnes ad auctoritatem huius ordinis, maiestatemq;  
 populi Rom. defendendam conspirasse uideantur. Quam-  
 p. 186. obrem, tribuni pleb. quamquam uos nihil aliud, nisi de prae-  
 sidio, ut senatum tuto consules Kal. Ian. habere possent, reu-  
 l'istis: tamen mihi uidemini magno consilio, atque optima  
 men



mēte potestatem nobis de tota repub. fecisse dicēdi. cum  
 enim tuto senatum haberi sine praesidio non posse iudicau-  
 istis, illud etiam statuistis, intra muros Antonij scelus, auda-  
 ciamq; nefarij. Quamobrem omnia mea sententia comple-  
 ctar, nobis, ut intelligo, non inuitis, & ut praestantissimis  
 ducibus à nobis detur auctoritas, & fortissimis militibus  
 spes ostendatur praemiorum, & iudicetur non uerbo, sed re,  
 non modo non consul, sed etiā hostis Antonius. Nam, si ille  
 consul, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reli-  
 querunt: sceleratus Caesar, Brutus nefarius, qui contra con-  
 sulem priuato consilio exercitus comparauerunt. Si autem  
 militibus exquirendi sunt honores noui, propter eorū diui-  
 num, atque immortale meritum, ducibus autem ne referri  
 quidem potest gratia; quis est, qui eum non hostem existi-  
 met, quem qui armis persequuntur, conseruatores reip. iu-  
 dicantur? At quam contumeliosus in edictis? quam barba-  
 rus? quam rudis? Primum in Caesarem maledicta congessit,  
 deprompta ex recordatione impudicitiae, & stupro: uero suo-  
 rū, quis enim hoc adolescente castior? quis modestior? quod  
 in iuuentute habemus illustrius exemplum ueteris sancti-  
 tatis? quis autē illo, qui maledicit, impurior? Ignobilitatem  
 obiicit C. Caesaris filio: cuius etiam natura pater, si uita  
 suppeditasset, consul factus esset. Aricina mater: Trallia-  
 nam, aut Ephesiā putes dicere? Videte, quā despiciamur  
 omnes, qui sumus e municipiis, id est, omnes plane: quotus  
 enim quisq; non est? quod autem municipiū non contemnit  
 is, qui Aricinum tantopere despicit, uetustate antiquissi-  
 mum, iure foederatum, propinquitate paene finitum, splen-  
 dore municipiū honestissimum? hinc Vocōnia, hinc Ar-  
 miniae leges, hinc multa sella curules, & patrū memori, &  
 nostra, hinc equites Romani lautissimi plurimi, & hone-



stissimi. Sed si *Aricinam* uxorem non probas, cur probas *Tusculanam* quamquam huius sanctissima femina, atque optima pater *M. Accius Balbus* in primis honestus, praetorius fuit: tuae coniugis bona femina, locupletis, quidem certe, *Bambalio* quidam pater, homo nullo numero, nihil illo contemptius, qui propter haesitantiam linguae stuporemque cordis, cognomen ex contumelia traxerit. At avus nobilis: *Tuditanus* nempe ille, qui cum palla, & cothurnis nummos populo de rostris spargere solebat. uellem hanc contemtionem pecuniae suis reliquisset. Habetis nobilitatem generis gloriosam. Qui autem conuenit, ut tibi *Iulia*, nata ignobilis uideatur, cum tu eodem materno genere soleas gloriari? quae porro amentia est, eum dicere aliquid de uxoribus ignobilitate, cuius pater *Numitoriam Fregellanam* proditoris filiam habuerit uxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos? Sed hoc clarissimi uiri uiderint, *L. Philippus*, qui habet *Aricinam* uxorem, *C. Marcellus*, qui *Aricinae* filiam: quos certe scio dignitatis optimarum feminarum non poenitere. Idem etiam *Q. Ciceronem* fratris mei filium compellat edicto: nec sentit amens commendationem esse compellationem suam. quid enim accidere huic adolescenti potuit optatius, quam cognosci ab omnibus *Cæsaris* consiliorum esse socium, *Antonij* furoris inimicum? At etiam gladiator ausus est scribere, hunc de patris, & patris paricidio cogitasse. O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! in eum adolescentem hoc scribere audere, quem ego, & frater meus, propter eius suauissimos atque optimos mores, praestantissimumque ingenium, certatim amamus, omnibusque horis, oculis, auribus, complexu tenemus. Nam me eisdem edictis nescit ledat, an laudet. cum idem supplicium minatur optimis ciuibus, quod ego de sceler



leratissimis, & pessimis sumpserim: laudare uidetur quasi  
 imitari uelit: cum autem illam pulcherrimi facti memo-  
 riam reficit, tum a sui similibus inuidiam aliquam in me  
 commoueri putat. Sed ipse quid fecit? cum tot edicta pro-  
 posuisset, edixit, at adesset senatus frequens ad V III. Kal.  
 Decemb. eo die ipse non affuit. At quomodo edixit? hæc  
 sunt, opinor, uerba in extremo, SI QVIS NON AF-  
 FERIT, HVNC OMNES EXISTIMARE  
 POTERVNT ET INTERITVS MEI, ET  
 PERDITISSIMORVM CONSILIORVM AV-  
 CTOREM FVISSE. Quæ sunt perdita consilia?  
 an ea, quæ pertinet ad libertatem populi Rom. recuperan-  
 dam: quorum consiliorum Cesari & me auctorem, & hor-  
 tatore & esse, & fuisse fateor. quamquam ille non eguit  
 consilio cuiusquam: sed tamen, currentem (ut dicitur) inci-  
 tauit. Nam interitus quidem tui quis bonus non esset auctor  
 cum in eo salus, & uita optimi cuiusq; & libertas populi  
 Rom. dignitasq; consisteret. Sed, cum tam atroci edicto nos  
 concitauisset, cur ipse non affuit? num putatis aliqua re  
 tristi, & senera? uino, atq; epulis retentus, si illa epula po-  
 tius, quam popina nominanda sunt, diem edicti obire ne-  
 glexit. in ante diem quartam Kal. Decemb. disulit: adesse in  
 Capitolio iussit: quod in templum ipse, nescio qua, per Gal-  
 lorum cuniculum ascendit. conuenerunt corrogati, & qui-  
 dem ampli quidam homines, sed immenores dignitatis sua. P. B.  
 is enim erat dies, ea fama, is, qui senatum uocarat, ut turpe  
 senatori esset, nihil timere. Ad eos tamen ipsos, qui conue-  
 nerant, ne uerbum quidem ausus est facere de Cesare, cum  
 de eo constituisset ad senatum referre. Scriptam attulerat  
 consularis quidam sententiam. Quid est aliud, de eo re-  
 ferre non audere, qui contra se consulem exercitum duce-



ret, nisi se ipsum hostem iudicare? necesse enim erat alter-  
 utrum esse hostem: nec poterat aliter de aduersarij duci-  
 bus iudicari. Si igitur C. Caesar hostis, cur consul nihil re-  
 fert ad senatum? sin ille a senatu notandus non fuit, quid  
 potest dicere, quin, cum de illo tacuerit, se hostem esse con-  
 fessus sit? quem in edictis Spartacum appellat, hunc in se-  
 natu ne improbum quidem dicere audet. At in rebus tri-  
 stissimis quantos excitat risus! sententiolas edicti cuiusdā  
 memoria mandari, quas uidetur ille peracritas putare.  
 Ego autem, qui intelligeret, quid dicere uellet, adhuc ne-  
 minem inueni.

NVLIA CONTVMELIA EST,  
 QVAM FACIT DIGNVS. primum quid est DI-  
 GNVS? nam etiam malo digni multi, sicut ipse, an quam  
 facit, qui cum dignitate est? qua autem potest esse ma-  
 ior? quid est porro Facere contumeliam? quis sic loquitur?  
 Deinde, NEC TIMOR, QVEM DENVNTIAT  
 INIMICVS. quid ergo? ab amico timor denunciari so-  
 let? horum familia deinceps. nonne satius est mutum esse,  
 quam, quod nemo intelligat, dicere? En, cur magister eius  
 ex oratore, arator factus sit, possideat in agro publico po-  
 puli Rom. cāpi Leontini duo millia iugerum immuniā ut  
 hominem stolidum magis etiam infatuet mercede publica.

P. 188. Sed haec leuiora fortasse: illud quaero, cur tam māsueta in  
 senatu fuerit, cum in edictis tam fuisset ferus? quid autem  
 attinuerit L. Cassio tribuno pleb. fortissimo, & constan-  
 tissimo cui mortem denunciare, si in senatum uenisset? D.  
 Carfulenum bene de repub. sentientem, senatu ui, & minis  
 mortis expellere? Tiber. Canutium, a quo erat honestis-  
 simis contentionibus & saepe, & iure uexatus, non templo  
 solum, uerum etiam aditu prohibere Capitolij? Cui sena-  
 tus consulto ne intercederent uerebatur? de supplicatione,  
 cre



credo, M. Lepidi clarissimi viri, atque id erat periculum, de cuius honore extraordinario, quotidie aliquid cogitabamus, ne eius usitatus honos impediretur. Ac ne sine causa uideretur edixisse, ut senatus adesse, cum de re, relaturus fuisset, allato nuntio de legione quarta, mente cecidit. Et fugere festinans, senatusconsultum de supplicatione per discessionem fecit, cum id factum esset antea numquam. Quae uero profectio postea? quod iter paludati? quae uitatio oculorum, lucis, urbis, foris? quam misera fuga? quam fœda? quam turpis? Præclara tamen senatusconsulta illo ipso die uespertina: prouinciarum religiosa sortitio: diuina uero opportunitas, ut, quae cuique apta esset, ea cuique obueniret. Præclare igitur facitis, tribuni plebis, qui de praesidio consulitis, senatusque referatis, meritoque uestro maximas gratias uobis omnes, et agere, et habere debemus. qui enim periculo carere possumus in tanta hominum cupiditate, et audacia? ille autem homo affluens, et perditus, quia de se exspectat iudicia grauiora, quam amicorum suorum? familiarissimus eius mihi homo coniunctus, L. Lentulus, et P. Naso omni carens cupiditate, nullam se habere prouinciam, nullam Antonij sortitionem fuisse iudicauerunt. quod idem fecit L. Philippus, uir auo, patre maioribusque suis dignissimus. in eadem sententia fuit homo summa integritate, atque innocentia C. Turranius, idem fecit. Sp. Oppius, ipsi etiam, qui amicitiam M. Antonij ueriti, plus ei tribuerunt, quam fortasse uellent, M. Piso, et meus necessarius, et uir, et ciuis egregius, parique innocentia M. Vehilius, senatus auctoritati se obtemperaturos esse dixerunt. Quid ego, de L. Cinna loquar, cuius spectata multis, magnisque in rebus singularis integritas minus admirabile fecit huius honestissimi facti

P. B.

P. B.



gloiam: qui omnino prouinciam neglexit: quam item magno animo, & constanti C. Cessedius repudiauit. Qui sunt igitur reliqui, quos fors diuina delectet? L. Antonius, & M. Antonius. O felicem utrumque! nihil enim maluerunt. C. Antonius Macedoniam, hunc quoque felicem: hanc enim semper habebat in ore prouinciam. C. Calpurnius Africam, nihil felicius, modo enim ex Africa decesserat, & quasi diuinans se rediturum, duos legatos Vitellæ reliquerat. deinde M. Iccius Siciliam, Q. Cassius Hispaniam, non habeo, quid suspicer. duarum credo prouinciarum sortis minus diuidas fuisse. O C. Caesar (adolestem appello) quam tu salutem reipub. attulisti: quam improuisam: quam repentinam: qui enim hac fugies fecerit, quid faceret insequens? Etenim in concione dixerat, se custodem fore urbis, usq; ad Kalend. Maias ad urbem exercitum habiturum. O præclarum custodem ouium (ut aiunt) lupum: custosne urbis, an direptor, & uexator esset Antonius? Et quidem se introiturum in urbem dixit, exiturumque, cum nellet: quid illud? nonne, audiente populo, sedens pro æde Castoris dixit, nisi, qui uicisset, uicturum neminem? Hodierno die primum, P. C. longo interuallo in possessione libertatis pedem ponimus: cuius quidem ego, quoad potui, non modo defensor, sed etiam conseruator fui: cum autem id facere non possem, qui uici: nec abiecit, nec sine aliqua dignitate casum illum temporum, & dolorem tuli. hanc uero tæterram belluam quis ferre potest, aut quomodo? quid est in Antonio, præter libidinem, crudelitatem, petulantiã, audaciã? ex his totus cõglutinatus est, nihil, apparet in eo ingenium, nihil moderatũ, nihil pudẽs, nihil pudicũ. Quapropter, quoniam res in id discrimẽ adducta est, utrum ille pœnas reipublicæ luat, an nos seruiamus: aliquando

P. 189.

8. 9.



per deos immortales, P. C. patrium animū, uirtutemq; capi-  
 piamus: aut libertatē propriā Romani generis, & nominis  
 recuperemus, aut mortem seruituti anteponamus. Multa,  
 quæ in libera ciuitate ferēda nō essent, tulimus, & perpeffi  
 sumus: alij spe recuperandæ libertatis, alij uiuendi nimia  
 cupiditate. sed, si illa tulimus, quæ necessitas ferre coegit,  
 uisq; quædā pene fatalis (quæ tamen ipsa non tulimus) Je-  
 tiā ne huius impuri latronis feremus tærrimū, crudelif-  
 simūq; dominatū? quid hic faciat, si potuerit, iratus, quicū  
 succensere nemini posset, omnibus bonis fuerit inimicus?  
 quid hic uictor non audebit, qui, nullam adeptus uictō-  
 riam, tāta scelera post Cæsaris interitum fecerit? refert am-  
 eius domum exbauferit? hortos compilarit? ad se omnia ex  
 his ornamenta transtulerit? cædis, & incendiorū causam  
 quasierit ex funere? duobus, aut tribus senatusconsultis  
 e republica bene factis, reliquas res ad lucrum, prædamq;  
 reuocauerit? uendiderit immunitates? ciuitates liberaue-  
 rit? prouincias uniuersas ex imperij populi Rom. iure su-  
 stulerit? exsiles reduxerit? falsas leges C. Cæsaris nomine,  
 & falsa decreta in as incidenda, & in Capitolio figen-  
 da curauerit? earumque rerum omnium domesticum  
 mercatum instituerit? populo Romano leges imposuerit?  
 armis, & presidij populum Romanum, & magistratus  
 foro excluserit? Senatum stipauerit armatis? armatos  
 in cella Concordiæ, cum senatum haberet, incluserit? ad  
 legiones Brundisium cucurrerit? ex his optime sentientes  
 centuriones ingulauerit? cum exercitu Romam sit ad  
 interitum nostrum, & ad disperditionem urbis uenire co-  
 natus? Atque is ab hoc impetu abstractus consilio, & co-  
 piis Cæsaris, consensu ueteranorum, uirtute legionum, ne  
 fortuna quidē fractus minuit audaciam: nec ruere demēs,  
 nec

P. B.



nec fureve desinit: in Galliam mutilatum ducit exercitum: cum una legione, & ea uacillante L. fratrem expectat, quo neminem reperire potest sui similiorem. Ille autem ex myrmillone dux, ex gladiatore imperator, quas fecit strages, ubicūq; posuit uestigium! cedit greges armentorum, reliquique pecoris quodcumque nactus est: epulantur milites: ipse autē se, ut fratrem imitetur, obruit uino: uastantur agri: diripiuntur uille: mätres familias, uirgines, pueri ingenui abripiuntur, militibus traduntur. Hac eadem, quacumq; exercitum duxit, fecit M. Antonius. His uos terrimis fratribus portas aperietis? hos umquam in urbem recipietis? non tempore oblato, ducibus paratis, animis militum incitatis, populo Rom. conspirante, Italia tota ad libertatem recuperandam excitata, deorum immortalium beneficio utemini nullum erit tēpus, hoc amisso à tergo, à fronte, à lateribus tenebū ur, si in Galliam uenerit. Nec ille armis solum, sed etiam uosiris decretis urgendus est. magna uis est, magnum numen unum, & idem sentientis senatus. Videtisne referunt forum? populum Rom. ad spem recuperende libertatis erectum? qui longo interuallo cum frequens hit uidet nos, tum sperat etiam liberos conuenisse. Hunc ego diem expectans, M. Antonij scelerata arma uitauit, tum, cum ille in me absentem inuebens, non intelligebat, ad quod tempus me, & meas uires reseruarem. si enim tum illi, cedis à me initium querenti respondere uoluisset, nūc reip. consulere nō posset. Hāc uero nactus facultatem, nullū tēpus, P. C. dimittam, neq; diurnum, neq; nocturnum, quin de populi Ro. libertate, de dignitate uestra, quod cogitandū sit, cogitem; quod agendum, atq; faciendū, id nō modo non recusem, sed appetam etiam, atq; deponam. Hoc feci, dum libuit, intermissi, quo ad non licuit: iam non solum

P. 190.



licet, sed necesse est etiam, nisi seruire malumus, quam, ne  
 seruiamus, animis, armisq; decerneret. Dii immortales no-  
 bis hæc præsidia dederunt, urbi Casarem, Brutum Gallie. Si  
 enim ille urbem opprimere potuisset statim, si Galliam te-  
 nere paullo post, optimo cuiq; perendum, reliquis esset  
 seruiendum. Hanc igitur occasionem oblatam tenete per  
 deos immortales, P. C. & amplissimi orbis terræ consilij  
 principes nos esse aliquando recordamini. signum date po-  
 pulo Romano, consilium uestrum non deesse reip. quoniam  
 ille uirtutem suam non de futuram esse profutur. Nihil est,  
 quod moneam uos: nemo est tam stultus, qui non intelligat,  
 si indormierimus huic temporari, non modo crudelem, super-  
 bamque dominationem nobis, sed ignominiosam etiam, &  
 flagitiosam ferendam. Nostis insolentiam Antonij, nostis  
 amicos, nostis totam domum libidinosis, petulantibus, im-  
 puris, impudicis, aleatoribus, ebriis seruire, ea summa mi-  
 seria est, summo dedecore coniuncta. Quod si iam (quod dij  
 omen auertant) fatum extremum reip. uenit, quod gla-  
 diatores nobiles faciunt, ut honeste decumbant, faciamus  
 nos principes orbis terrarum, gentiumq; omnium: ut cum  
 dignitate potius cadamus, quam cum ignominia seruiamus.  
 Nihil est detestabilius dedecore, nihil sædius seruitute. ad  
 decus, & libertatem nati sumus: aut hæc teneamus, aut  
 cum dignitate moriamur. Nimum diu teximus, quid sen-  
 tiremus: nunc iam apertum est: omnes iam patefecerunt,  
 in utramque partem quid sentiant, quid uelint. Sunt impij  
 ciues, pro caritate reip. nimum multi, pro multitudine  
 bene sentientium, admodum pauci: quorum opprimendorum  
 dij immortales in redibilem populo Romano potestatem,  
 & fortunam dederunt. ad ea enim præsidia, quæ habemus  
 iam accedent consules summa prudentia, uirtute, concor-  
 dia,



dia, multos menses de populi Rom. libertate commentati,  
 atq; meditati. His auctoribus, & ducibus, diis iuuantibus,  
 nobis uigilantibus, & multum in posterum prouidentibus:  
 populo Ro. consentiente, erimus profecto liberi breui tem-  
 pore: iucundiorum autem faciet libertatem seruitutis recor-  
 datio. Quas ob res, quod tribuni pleb. uerba fecerunt, ut se-  
 natus Kalen. Ianuar. tuto haberi, sententiæq; de summa  
 rep. libere dici possint, de ea re ita cens. o. v. t. C. Pansa, A.  
 Hircius consules designati dēt operam, ut senatus Kal. Ian.  
 tuto haberi possit: quodq; edictum D. Bruti imperatoris, cō-  
 sulis designati, optime de rep. meriti propositum sit, sena-  
 tum existimare D. Brutum imperatorem, consulem desi-  
 gnatum, optime de rep. promereri, cum senatus auctorita-  
 tem, populiq; Ro. libertatem, imperiūq; defendat: quodque  
 Galliam prouinciam ceteriorem optimorum, & fortissimo-  
 rum uirorum, amicissimorumq; populo Ro. ciuium exerci-  
 tumq; in senatus potestate retineat: id eum, exercitumq;  
 eius, municipia, colonias prouincia Gallia, re fle, atq; ordi-  
 ne, exq; rep. fecisse, & facere: senatū ad summā remp. per-  
 tinere arbitrari, à D. Bruto, & ab L. Plāco imperatoribus,  
 C O S S. designatis, itēque à ceteris, qui prouincias obtinēt,  
 obtineri ex lege Iulia, quoad ex senatusconsulto cuiq; eo-  
 rū successum sit: eosq; dare operam, ut hæ prouincia, Gal-  
 liaq; exercitus, in senatus, populiq; Rom. potestate, præsi-  
 dioq; reip. sint: cumque opera, uirtute, consilio C. Caesaris,  
 summoq; consensu militum ueteranorum, qui eius aucto-  
 ritatem secuti, reip. præsidio sunt, & fuerunt, à gravissimis  
 periculis populus Ro. defensus, & hoc tēpore defendatur:  
 cūq; legio Martia Alba constituerit, in municipio fidelissi-  
 mo, & fortissimo: seseq; ad senatus auctoritatē, populi que  
 Ro. libertatē cōtulerit: & quod pari consilio, eadēq; uirtu-  
 te



te legio quarta usa L. Egnatuleio duce, ciue egregio, senatus auctoritatē, populiq; Ro. libertatē defendat, defenderit: senatui magna cura esse, ac fore: ut pro tantis eorū in rēp. meritis honores eis habeantur, gratiaq; referantur: senatui placere, uti C. Pansa, A. Hirrius, cōsules designati, cum magistratum inissent, si eis uideretur, primo quoq; tempore de his rebus ad hunc ordinem referret, ita uti e republica, fideq; sua uideretur.



## IN M. ANTONIVM P. B.

AD QUIRITES,

PHILIPPICA IIII.

ORATIO XLVI.

**R**equentia uestrum incredibilis, Quirites, concioq; tanta, quantā meminisse non uideor, & alacritatem mihi summam affert reipublica defendendae, & spē recuperandae libertatis. quāquam animus mihi quidem numquam desuit, tempora defuerunt: quae simulac primum aliquid lucis ostendere uisa sunt, princeps uestrae libertatis defendendae sui, quod si ante facere conatus essem, nunc facere non possem. Hodierno enim die, Quirites, ne mediocrem rem aetā arbitramini, fundamenta sunt iacta reliquarū actionum, nam est hostis a senatu nondū uerbo appellatus, sed re iā indicatus Antonius. Nunc uero multo sum erectior, quod nos quoque hostē illū esse tanto cōsensu, tāq; clamore approbauistis.

Neq;